plus obedire, quam hominibus. Scriptura autem canonica, vtrunq; videlicet testamentum, spiritu sancto dictante, & inspirante scripta creditur, secundum illud 2. Petri. 1. Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Lex quoq; naturalis diuinæ legi innititur, quia à Deo cordibus hominum est impressa, dicente prophetæ psal. 4. Signatũ est super nos lumen vultus tui domine. Et apostolus ait. Rom. 2. Ostendit opus legis scriptum in cordibus suis. Ad idé valet illud beati Hiero. super epistolã ad Ephes. 11. q. 3. Si dominus. Si dominus iubet ea, quæ non sunt contraria fidei, vel aduersa sacris scripturis, subiiciatur domino seruus. Sin verò contraria præcepit, magis obediatis Christo, quam corporis domino. Et infra. Si bonum est, quod præcipit imperator, iubentis exequere voluntatem. Si malum, respondeo. Oportet magis Deo obedire quam hominibus, & beatus Aug. in de natura boni. 11. q. 3. qui resistit. Si aliud iubeat imperator, aliud Deus, maior é potestas Dei. O imperator da veniam, tu carcerem, ille minatur gehennam. Et parratio est de quolibet mortali contra Deum præcipiente. Hinc Isidorus generaliter loquens ait. 11. q. 3. Si is qui. Si is, qui Præest, fecerit, aut cuiquam, quod à Deo prohibitum est, facere iusserit, vel quod præceptum est, præterierit, aut præterire mandauerit, sancti Pauli apostoli ad Gala. 1. sententia ingerenda est. Et si angelus de cœlo euangelizauerit vobis, præter quod euangelizauimus, anathema sit. Beatus quoq; Bernhardus dispen. & precep. ad idem dicit. Labia sacerdotis custodiunt sententiam. Malach 2. Et legem exore eius requirant. Requirant dixerim legem non quam, vel aut enticam illa scriptura tradiderit, vel ratio manifesta probauerit de huiusmodi quippe nec præceptor ex pectandus, nec prohibitor auscultandus est. Cui consentire videtur Gratianus distin. 19. Ita dominus §. hoc autem. Vbi loquens de susciendis decretalibus epistolis Papæ, addit, hoc autem intelligendum est de illis sanctionibus, & decretalibus epistolis, in quibus nec præcedentium patrum decretis, nec euangelicis præceptis aliquod contrarium inuenitur. Et iterum distin. 10. §. 1. Constitutiones ecclesiasticæ, vel seculares, si naturali iure contrarię probantur, penitus sunt excludendæ. Alioquin qui mandato hominis contra Deum obtemperat, rectè cum phariseis à domino exprobari meretur, dicente Mat. 15. Quare transgredimini mandata Dei propter traditiones vestras?

Nona veritas.

Sanctionibus, ac decretis apostolicis, quas scripturæ sacræ legi diuinæ, & naturali obuiare certum non est, etiãdubium fuerit, assensus, & obedientia est præstanda. Patet hæc veritas præsertim quantum ad illa dubia, quæ quis scire non tenetur, per beatum Augu. qui contra Manichæos scribens ait. Virtutus si fortè sub rege sacrilego militet, recte potest illo iubente bellare, vice pacis ordinem seruans, si quod iubetur, aut non esse contra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit certum non est, ita vt fortassè reum faciat regem iniquitas imperandi, innocentem tamen militem offendat ordo seruiendi. Ecce si regi sacrilego in dubijs malesobedire tenetur, etiam in fundendo humanum sanguinem, quia si in bello, quantò magis in dubijs Papæ est obediendum. Hinc etiam beatus Bernar. in dispen. & præcep. ait. Quod ita latere aut in dubium venire possit, vtrũ nam Deus sic, an aliter fortè velit in huiusce modi lex ex ore sacerdotis requirenda est. A quo denique diuina potius consilia requirentur, quam aballo, cui credita est dispensatio mysteriorũ Dei? Ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ apertè non sunt contra Deum audire debemus, & cætera quæ ibi sequuntur. Demum nisi in dubijs papæ esset assentiendum, & obsequendum frustra ad eius sedem causæ dubiæ per ipsum vltimate.

Nona veritas. Decretis apostolicis etiã dubijs modo nõ contrarijs legi diuinæ obedientia est seruanda.